

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beneficiencia siue beneficium i
cum fonte proximo et primo

Sunt enim quidam nimis grati
qui aliquid incommodi prestare solent hiis
quibus obligati sunt

ut probent affectum beneficii memorem.

Horum animus similis est prauo amore
flagrantibus. Illi enim amice sue optant exilium
ut fugientem comitentur,
optant inopiam ut magis desideranti donent,
optant morbum ut assideant,
et quicquid optaret inimicus amantes uouent.
Fere idem exitus est odii et amoris insani,

sed
nequicia est ut extrahas mergere,
euertere ut suscites, includere ut emittas.
Non enim beneficium iniurie finis,
nec unquam id detraxisse meritum est,
quod ipse qui detraxit intulerat.

Seneca ibidem (de beneficiis).

Sunt enim quidam nimis grati;
hii aliquid incommodi precari solent his
quibus obligati sunt.

ut probent affectum beneficii memorem.

Horum animus similis est prauo amore
flagrantibus; illi enim amice sue optant exilium
ut fugientem comitentur,
optant inopiam ut magis desideranti donent,
optant morbum ut assideant,
et quicquid optaret inimicus amantes uouent.
Fere idem exitus est odii et amoris insani.

Sed
nequitia est ut extrahas mergere,
euertere ut suscites, includere ut emittas.
Non enim beneficium iniurie finis,
ne<c> unquam id detraxisse meritum est,
quod ipse qui detraxit intulerat.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium
dogma philosophorum*, I.B.2.a.ii (J. Holmberg
ed., p.19, ll.3-13).

His ingratis et repudiantibus beneficia,
non quia nolunt, sed ne debeant,
similes sunt ex diuerso nimis grati,
qui aliquid incommodi precari solent iis,
quibus obligati sunt,
aliquid aduersi, in quo
adfectum memorem accepti beneficii adprobent.
An hoc recte faciant et pia uoluntate, quaeritur;
quorum animus simillimus est prauo amore
flagrantibus, qui amicae suae optant exilium,
ut desertam fugientemque comitentur,
optant inopiam, magis desideranti donent,
optant morbum, ut assideant,
et, quicquid inimicus optaret, amantes uouent.
Fere idem itaque exitus est odii et amoris insani.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.25.1-2
(F. Préchac ed., vol.1, pp.56-7).

Nequitia est ut extrahas mergere,
euertere ut suscites, ut emittas includere;
non est beneficium iniuriae finis, nec
unquam id detraxisse meritum est,
quod ipse, qui detraxit, intulerat.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.26.1
(F. Préchac ed., vol.1, p.57).